



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Argvmentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVSSEXTVS.

ARGUMENTVM.

ABVLÆ promulgata securitatis hæreticis concessæ. Aduentus Oratorum Regis Hispani, Catholicorum Heluetiorum, & Florentini Ducis. Controuersia de loco inter hos postremos in concordiam adducta. Delegati ab Ecclesiasticis Hungariæ. Philippi Regis sensa. Res gestæ in Aula Gallicana ad Religionem spectantes. Duodecim articuli de reformanda disciplina propositi. Contentiones de obligatione restendi, & eius causâ turbamenta intestina & externa. Missus ad Pontificem Pendasij. Accessus Oratorum Venetorum, ac Boiorum; & inter eos de prærogatiua dissidium. Litteræ Philippi Regis ad Oratorem Vargam, cum querimonia de Legatis, quod non dum declarabatur Synodi continuatio, quodque apposita fuerat primo Decreto particula, proponentibus Legatis; & rationes à Legatis ad Regem redditæ. Noui conatus Marchionis Piscariæ, ut declararetur à Legatis continuatio; & promissum declarationis scripto impetratum. Temporis spatiū postulatum à Cæsarianis, quod Ferdinandum admonerent: & Sessio prorogata tum potentibus Oratori Gallici litteris, tum etiam postea Cæsarianis. Mandata Legatis à Pontifice reditu Pendasij tradita. Insimulationes Romæ iactæ in Mantuanum & Seripandum; & ab hoc

YYYY 3 scriptæ

726 HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI Lib. 16 Cap. I.
scriptæ pro vtroque vindicationes. Aduentus Oratorum Gallie,
& mandata ipsis tradita. Eorum oratio mordax, postea scripta
temperata; & responso illi reddita. Vicecomes missus ad Conci-
lium à Pontifice. Variæ inter Legatos suspicione. Obices à Cesare
& Gallis iniecti declarationi continuationis. Disertum Pontifi-
cis mandatum vt ea fieret. Angustiæ idcirco Legatorum, & supe-
rsum ab ipsis non obtemperandi consilium, mittendique Romanis
Altempsi, qui facti necessitatem ostenderet. Nouæ litteræ, quibus
negotium in Legatorum iudicio reponitur. Piscarij consensu.
Consilium inter Hispanienses Episcopos contestandi, sed in opere
non deductum. Sessio quarta, seu vigesima, habita quarto Ianuarii
cum prorogatione Decretorum usque ad decimum sextum Ianuarii
Triginta sex Patrum repugnantia.

C A P V T P R I M V M.

Securitatis hæreticis prestantæ forma composita, & promulgata.
Dubitatio de oblata illis venia. Transitus ministri, à Ban-
riæ Duce Romam missi. Duodecim articuli de reformanda di-
sciplina ad examen propositi.

1562.

STATIM post Sessionem demandatum est Castanei, Augustino, Boncompagno, & Paleotto, vt formam promittendæ hæreticis securitatis concinnarent. Duo in eo difficultia obuersabantur: alterum, vt adhibe-
rentur verba, quæ omnem suspicionem ab hæreticis disiicerent, simulque nullum afferrent Ecclesiæ detrimentum: alte-
rum, ac potissimum, quod neque hinc placebat eam restringi ad foli-
lam Germaniam, sicut in Iulij Concilio effectum fuerat (ita siquidem melioris quam ceteri conditionis redditii essent qui convenerant in Augustanam Confessionem, & incuria simul ostensa fuisse de multorum populorum salute, grauiter indignantium) neque hinc probabatur vniuersalis omnium comprehensio, propter casas à nobis recensitas; neque etiam, retento generali nomine aliarum nationum, exceptio quarundam nominatim, cuiusmodi esset Hispanica, Lusitana, & Italica, quam sacra Romana Inquisitio per seipsum regebat. Etenim hæc aperta inæqualitas speciem nec deco-
ram